



DYSENTERIAM
EX
PRINCIPIIS CHEMIAE SVBLIMIORIS
PERLVSTRATAM

DEO OPTIMO MAXIMO AVSPICE

ET

SVFFRAGANTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MEDICAЕ SENIORE, ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI, ET COMITE PALATINO CAESAREO,

AD SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

CAPESSENDOS

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

DIE III. NOVEMBRIS A. R. S. CLOCCCLXIV.

PUBLICE VENTILANDAM PROPONIT

A V C T O R

CHRISTIAN GOTTLIEB MÜLLER

REICHENBACHIO - VARISCVS.

HALAE MAGDEBURG. APVD IO. CHRIST. HENDELII VIDVAM.

CHRISTIANUS

CONFESSORIS
MATTHEI

CONFESSORIS MATTHEI

CONFESSORIS MATTHEI

DANIELA DUCHINIO

DANIELA DUCHINIO

DANIELA DUCHINIO

DANIELA DUCHINIO

CHRISTIANUS

CHRISTIANUS

V I R O
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO
D O M I N O
ANTONIO RIDIGERO,
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI
CELEBERRIMO,
CHEMIAE IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSORI
PVBlico ORDINARIO MERITISSIMO,

FAVTORI ET PRAECEPTORI SVO
OMNI PIETATIS CVLTV DEVENERANDO.

FAVATORI ET PRAEFECTORI SVA
OMNI PLENTATIS CAVTA DEFENDERANDO.

ANTONIO RINGEIRO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI
CENSUS ET LIBER
CHIMICAE IN ACADEMIA IMPERIALI POLONORUM
TARANTO GREGORII MINTZISSIMO

AVRORUM
EXCELSISSIMO DOCTISSIMO

DOMINO

AVRORUM

EXCELSISSIMO DOCTISSIMO

VIR
EXCELLENTISSIME, EXPERIENTISSIME,
AMPLISSIME, DOCTISSIME,
PATRONE ET PRAECEPTOR
MAGNOPERE COLENDE.



*and leuis certe, OPTIME PRAECEPTOR, mihi subest ratio, cur Nomine
TVO celeberrimo frontem Speciminis
huius academicci exornare sim ausus. Ea
enim perquam opportuna mihi visa fuit occasio, qua laetam
beneficiorum, quibus me es amplexus, memoriam grata mente re-
colere mihi liceat. Publice ergo TIBI tantas, quantas possum,
ago gratias, pro hac vita, quam, si a DEO recessero, a morte,
ante sex abbinc, & quod excurrit, annos intra Lipsiae moenia sae-
uiter grassante, saluam ac sospitem seruasti. Sinceritas, quamvis*

*non splendidas, ago habeoque grates pro ingenuo candore TVO,
quo sacra naturae mysteria eiusque palatum, ad quod non cui-
que aditus patet, mihi pandere nunquam defuisti, unde TIBI et-
iam hae laborum primitiae ut reddantur, pietas requirit: pro mu-
nificentia denique, qua exiguis meis rebus benigne parcere TIBI
placuit, totum me semper ad quaevis officia babelis paratissi-
mum. DEVS vero, cui interest, ut, quae sunt in occultis, na-
turae opera, reddantur aprica, maximo sit TIBI praesidio cu-
ius sub tegmine omnia pericula, atque difficultates, quibus TVI
TE reddunt conatus obnoxium, strenue superare atque eludere
possis: coepitis TVIS addat pondus grauissimum, & perpetua
incolumitate TE seruet, aegrotorum solatium, artis machaoniae
fulcrum atque ornamentum. Vale, TVAque exoptatissima be-
nevolentia atque fauore porro haud dignari me pergas opto
rogoque,*

NOMINIS TVI

obseruantissimus cultor,

CHRISTIAN GOTTLIEB MÜLLER.



§. I.
Instituti ratio.



Physicam corporum naturalium essentiam,
ex qua omne caussarum naturalium scruti-
nium petendum est, in mixtione ex di-
uersa principiorum proportione & co-
haesione, & in iis latitudibus niteadi fa-
cilitatibus aequae diuersis, positam esse,
vix illus ibit in inficias. Scientia, ex qua eiusmodi cognitio
hauritur, ea est, quae non solum ex separatione principio-
rum a principiis, quam *analysis* dicunt, sed etiam ex com-
mixtione principiorum cum principiis, sive *synthesi*, varia
nitendi potestares & cohaerentias, ac corporum varios ad se
imicem habitus ostendit, & quam *generalioris* vel *sublimioris*
Chemiae nomine insigniunt bene periti Chymici. Chemia ita-
que sola artem salutarem ab opprobrio artis conjecturalis, a
Medico satis noto empirico, ideoque tandem scepticorum par-
tes amplectente, ex idearum quadam confusione, ad ipsam ar-
tem

tem a male circa eam versantibus primum deriuato, vindicare valet. Hinc merito commendata ab illustribus viris a) iucunda illa Viri celeberr. Dn. Doct. & Prof. Anton RIDIGERI, Praeceptoris mei nunquam satis colendi, doctrina fuit, qua magnum & necessarium Chemiae vniuersalis usum in Physiologia medica generali penitus euictum dedit b). Omnes, quibus medicina recta cum ratione facienda, & vera naturalis Philosophia curae cordique est, nominati decenti cum obseruantia Doct. & Prof. RIDIGERI operam, in recte adplicandam, ad salutaris artis doctrinam, Chemiam collatam, iudicant fructuosam, & in naturali quoque scientia frugiferam futuram praevident. Apud animum igitur constitui, in praxi clinica quoque Chemiae ad illam adplicatae utilitatem ostendere, & ad priuatae institutionis optimi mei Praeceptoris ductum, quaedam de *Dysenteriae* natura & curatione, in Specimine hoc inaugurali aperte differere.

§. II.

Dysenteria, quid sit, ostenditur.

Dysenteria, vniuersim considerata, eiusmodi intestinorum status praeternaturalis dicitur, quo sub frequenti conatu desidendi, ac molesta intestinorum depressione, cum spasmo intestini recti coniuncta, ventris cruciatus percipiuntur, quos excre-

- a) Conf. Ioh. Anton. de VOLTHER, Consil. Electoral. intimi & Promed. *Oratio anniversaria, qua die natali Sereniss. Elector. MAXIMILIANI JOSEPHI, inter pia Academias Scientiarum vota pro Domini clementissimi salute, Utilitas artis Chemiae ad rem publicam ipsam & principem redundans, exponitur.* Monachii d. 28. Mart. 1764.
- b) Conf. EIUSDEM Programma, *de magno & necessario Chemiae vniuersalis usu in Physiologia medica generali.* Lipsiae 1762.

excretio materiae varii coloris, sed sine insigni leuamine sequitur.

§. III.

Variae huius morbi differentiae explicantur.

Diuisiones morbi nostri pro vario fundamento variae esse solent. A colore excretorum desumto diuidendi principio, Dysenteria in *albam seu mucosam*, & in *cruentam* dispescitur. *Alba & mucosa* illa est, sub qua serum sanguinis & varia ex illo secreta, ut mucus glutinosus benignus glandularum intestinalium, liquor gastricus & pancreaticus, a naturali sua indeole deslectentes & aciores reddit, sub forma variae constientiae albescientium excretionum prodeunt. *Cruenta* vero sanguinis cruentem & vitramque ab illo secretam bilem in excretis ostendit. Pro organorum, quae afficiuntur, differentia, aliam, quae in intestina crassa, atque aliam, quae in tenuia agit, caussam distinguimus. Porro, prout dysenteria vel morbus ipse, vel alias morbi effectus est, in *protopathicam* vel *deuteropathicam* eam dispescunt. A fundamento caussarum occasionalium, vel *sporadica*, vel *epidemica*, vel *contagiosa* esse potest. Sporadica dicitur, quae ex peruerso sex rerum non-naturalium vsu nonnisi paucos ex gente inuadit. Si haec caussae occasio[n]ales, ad vitam sustentandam necessariae, ut aqua, alimenta, &c. in sua mixtione deprauatae sunt, dysenteria exsurgit plures infestans, epidemica dicta; si vero caussa, ex se[]e sui simile gignendi vi praedita, halitus forma per contractum, vel aeris ope ad alia corpora deferritur, contagiosa appellatur. A maiori copia materiae destruentis & actuosa, vel minori magis inertis, discrimen inter *malignam* & *benignam* dependet. Benignam constituant vires materiae peccantis magis inertis copia minoris, qualem diarrhoea sic dicta dysenteria.

rodes ostendit, in qua sanguis stercoribus adhuc permixtus sub leuioribus symptomatibus excernitur, & talis tam sporadica, quam epidemica esse potest, si corpora robusta & ab omni cacoehymia immunia tangit. Maligna autem magis penetrantem & coagmentatam materiam igneae virtutis indicat, adeoque copiam materiae peccantis actuosa & virium, motus cum aequilibrio praestantium, defectum inuoluit. Notabilis tamen inter maligni & contagiosi notionem versatur differentia. Virtus assimilans utrisque communis est, quae suam a lumine igneo naturam habet, adeoque sine mercuriali primigenio sale esse nequit. Hic ignis, coelestis dictus, & vario modo dimensus, corporum proprietates sifit, & gaudet facultate, singulares & proprias, & ex aliis corporibus, eiusdem, qua ipse pollet, cohaesionis, proportionis, indolis & mobilitatis materias euoluendi & componendi. Aër vero, vt pabulum ignis, hasce facultates semper alit, & non nisi animans, ex rarefacto & congelante compositus aër, vt dissimiles res cohaerere queant, efficit. In omni maligno contagiosi, seu ex se se sui simile gigantis cuiusdam rei, pauclo ante definitae, aliquid praefeo est; sed maligna morborum indoles simul ab exiguis sanitatis relictae viribus, & copia materiae peccantis actuosa pendet.

§. IV.

Cauſſandi vires occaſionalium cauſſarum ſiſit.

Inter cauſſas, quarum effectus remoti non absolute tales, sed a subiecti, cui applicantur, qualitate demum suam determinationem nanciscuntur, & quas idcirco occasioales appellare ſolemus, principem locum aër meretur. Huius vero consideratio ſub vario refpectu institui potest: quatenus vel eius perturbatam mixtionem, vel inconciuum uolum contemplanur.

plamur. Corruptelae, aëri illatae, vel illum mediae regionis & mobilitatis, quo inspirando nos vtimur, attingunt, & morbi inde oriundi epidemici ad homines perueniunt; vel inferiorem aëris partem, seu regioni terrae magis confinem, ponderosiorem, qui a brutis terrā versus spectantibus attrahitur, & morbi inde prouenientes ad bruta tantum deferuntur, & qui omnes nonnisi integritate mixtionum, diuerso huic aeri competentium, tam intus, quam extus reddita, sui medelam admittunt. Si in primam mixtionis aëris virtutae, vel ibi, vbi suam vim exserit, generati, vel perflatu illuc aduenti, originem inquirimus, illam haud infrequentioris praesentiae percipimus, quae a Sole aestuante, & radios suos in aquas stagnantes & paludosas proiiciente, dependet, & ex quarum terra pingui, inerti, viscosa, materia duplicitis indolis in altum euecta aëri admiscetur, quae, dum sua natura volatilis terra pinguis est, sulphur narcoticum fiftit; dum vero eo ipso illa partem radiorum Solis stabilem redditam habet, igneum acre recondit. Variae hinc dimensionis fermentum & constitutio epidemica producitur. Si enim igneum acre in mixtione hac insalubri praedominatur, tunc dysenteriae magis cruentae, immanibus doloribus stupatae, prodibunt; si vero sulphur narcoticum, tunc mucosae dysenteriae, cum indolenzia magis & partium aliquali stupore, proueniunt, cuius generis plane indolentem dysenteriam *WEDE LIVS c) & LEDE LIVS d)* se vidisse referunt. Porro tempestatum ratio in suis vicissitudinibus ad hancce occasionalium cauſarum familiam, at non pari malignitate, niſi forte subiecti accedat debilitas, affigentium, pertinet. Omnes ac singuli vnius extremi in

B 2 alterum

c) In Ephemerid. Nat. Curios. Dec. I. Ann. II. Obs. 43.

d) Ibid. Dec. III. Ann. I. Obs. 61.

12 *Dissertatio de Dysenteria, ex principiis*

alterum transitus, subitanei potissimum, virium vitae destru-
ctionem vel dissipationem comitem habent; sed varii inde re-
dundant peculiares effectus, pro vnius extremi in alterum
transitus, qua se inuicem excipiunt, diuersitate & ordine; cui
id tantum subiungam, quod in calido-humido caufsa solidorum
relaxationis, & fluidorum, copia auctorum, inspissationis;
in frigido sicco autem solidorum constrictiois & humorum te-
nuitatis & resolutionis lateat. Hanc rem duo incluta HIPP O-
CRATIS loca egregie illustrant, quibus etiam maior, expo-
sito principio, lux affulget, dum nempe *e*), si hyems siccata
& aquilonia, ver autem pluviostum & austrinum fuerit, aestate
dysenterias venturas Senex ille experientissimus praedicit;
quales vero futurae sint, ipse per caufsam adiectam praedis-
ponentem significat; tales nempe, quae feminis & viris na-
turae humidioris, vt subiectis plethoricis, competant, nimi-
rum cruentae. Quo cum effectu etiam caufiae occasionalis
applicandae ratio exacte conspirat. Longe alius vero & priori
oppositae naturae dysenteriam esse, idem ostendit *f*), quae
ex ea, si austrina, tepida & pluvia hyems fuerit, ver autem
siccum & aquilonium, proueniar, & cuius pariter propriam
indolem ex caufsa praedisponente, senio, & morbis congeneris
naturae adiectis, grauidarum nempe abortibus & oph-
thalmis siccis, accurate satis indigit. Ab utrisque enim ri-
gor & dispositio ad spasmum in solidis, in humoribus autem
acidum cum rancido oleoso, adeoque constitutio melancholica
praesupponitur. Porro eriam in ore agriculturam exercen-
tium a maioribus tradita frequens experientia est, quod praegressis
eiusmodi temporum anni mutationibus, imprimis vere
sicco & frigido, post hyemem tepidam & pluviam, rores illi
maligni

e) Sect. III. Aphor. 11.

f) Ibid. Aphor. 12.

maligni & verminosi, neque minus fructus horaei in suis arboribus intus nigri & putredine confecti, copiose inueniantur. Quibus omnibus euincitur minor omnino illius in aere principiū elastici, quod SENDIVOGIO *vitam alens spiritus* dicitur, copia, & e contrario probatur acidi rodentis partim, partim quoque salis sulphurei putrefacientis copia in aqua, pluvia & rore. Fructus vero a tali rore tacti, si immature comedantur, acrimoniam compositam, siccioribus infestam, introducunt. Per se autem poma & pruna immature assunta, si aliae occasioneis vel praedispontes caussae non accedant, vix semper diarrhoeam tantam mouere per experientiam constat. Idem etiam de potu fermentescente, vt vino recenti, cereuia non defecata, sit iudicium, sub certa ramen conditione, si nempe v. g. aestatis tempore in lagenis cupreis, frigidiori putoeo, vel foucis sic dictis glacialibus, refrigerandi gratia redundunt, & aestuanti corpori ingurgitantur, multiplici ratione laedere & dysenteriam excitare possunt. Sal denique ad digestionem, circulationem & elaborationem necessarium, & idcirco merito virale dicendum, maiori copiae dissimilium affmili reddendae impensum & a vietu vario eoque copioso assumtum, dispositionem ad hunc morbum & requisitam debitatem producit. Porro carnes a putredine corruptae & multo sale conditae, si succo citri palato accommodantur, ne putredinem respiant nec redoleant, & perspiratione certis temporibus suppressa, dysenteriam concitant. Notatu quoque dignum est huius fere conditionis AMATI LVSITANI^{g)} Scholion, vbi, cur Indis & Aegyptis dysenteria tam frequens sit, caussam esse asserit, quia ibi carnibus animalium fruantur, quibus Cassia fistularis pro pastu sit: Cassia vero haec in examine chemico praeber in fixis & terreis partibus magis fa-

B 3.

g) Centur. II. Curat. 45.



lis marini terram, in volatilibus vero sal mercurifiscans, i. e. fixa corpora volatilia reddens. Huc referri quoque solet venenum saturninum, subtili arsenicali principio impraeognatum, quale imprimis in bismutho reperitur, quodque vel per vina mangonitata, per acetum in vasis plumbeis asseruatum, vel mediante aqua per canales plumbeos deriuata, intra corpus devenire potest. In saturno enim est principium halituosum ignescens, ex terra sigente, vitrescente, pingui, & sale sulphureo volatilibus redditis, quod sanguinem valet minorum, ex quo nutritio & elasticitas vitalis pendet, coagulat & exsiccat, adeo, vt cum vasis, quibus continetur, concrescat, solidisque rigorem inducat, vnde praematura senectus. A terra fixa vero salis marini, cum multo inflammabili coniuncta, in arsenico larente, humorum densitas subtilis & solidorum elater, cum eorum tandem compage destruitur, & actio saturnini veneni penetrantior multo euadit. Porro vomitoria & draistica purgantia, multo acri resinoſo ſcendentia, vt, Turbith vegetabile, radix Cucumeris sylvestris, Hellebori nigri, Euphorbium, Cataputia, &c. ab empiricis in diarrhoea, vel scorbuticis exhibita, dysenteriam efficiunt. Magnam efficaciam quoque exierunt in dispositis illae occasioneſ cauſſae, quarum vis in repressione talium materiarum, quas per cutem eliminare natura molitur, est posita, vt refrigeratio externa, atque terror, si imprimis scorbuticis vespertino, & hypochondriacis matutino tempore eueniunt. Praecipue autem terror tum efficaciam suam monstrat, si per contagium agens materia praesens est, quae a venis habitus cutanei recepta, & per motus, a peripheria ad centrum progredientes, cum aucta humorum spissitudine stabilis reddita, ad eiusmodi peculiarem indolem fuit disposita, vt versus intestina decumbere possit. Ipsa autem contagii materia communicari vario modo potest, veluti per exhalatio-

halationem cutaneam, haud raro per latinas, nonnunquam etiam per instrumenta clysmatica, quorum ope non multo ante eodem morbo decumbenti iniectio facta fuit, si debite de-
in non fuerint repurgata.

§. V.

*Cauſſae ad hunc morbum praedispone[n]tes
indican[t]ur.*

Principes inter cauſſas remotas praedispone[n]tes merito reputandae sunt, quae, a viribus cauſſarum occasionalium homogeneis quoad niſuum magnitudinem auctae, cauſſae proximae essentiam referunt. Hae cauſſae semper hoc in paſſu tales sunt, quae vitia bilis, croris, caloris naturalis, adeoque copiam acris & variii viscidi producendi, proclivitatem faciunt, & in naturales, non-naturales & praeternaturales diuidi solent. Ad naturales pertinet aetas, eaque vel iuuenilis, vel senilis, itemque temperamentum vel sanguineum, ad plethoram quodammodo inclinans, vel melancholicum. Ad non-naturales dispositio scorbutica & hypochondriaca referri merebuntur; quae omnes in duas cauſſarum classes, nonniſi gradu diuersas, communiter abeunt: quibus nempe vel ſolida a copia ſalis muriati laxa reddita, & fluida magis ſpiffa, a viscido glutinoso putrido facta, obſeruantur, quod temperamento ſanguineo magis pleniorico & dispositioni scorbuticæ competit; vel ſolida a copia viscidi glutinosi putridi rigida, fluida vero ab acida acrimonia tenuia reddita eſſe poſſunt, id quod dispositioni scorbuticæ ſolemne eſt. Praeternaturalibus tandem accenſendi ſunt morbi praegressi, a cauſſa complicata oriundi, quorum materia peccans per metathafin ad intellina fuit delata, vt, mania, variolae, febres catarrhales malignae, ptechiales, malum hypochondriacum inueteratum, vbi ſcri-
pti

16 *Dissertatio de Dysenteria, ex principiis*

rhī glandularum a nouae inflammationis accessu in carcinoma-
ta exulcerata mutati fuerunt; porro fluxus hepaticus, vleera
imprimis tibiarum repressa, aut intempestive consolidata.

§. VI.

De causa proxima.

Ex causis remotis, quoad vires caussales huc usque ex-
plicatis, proximam morbi inuenire haud ita difficile erit.
Proxima huius morbi positiva causa in complicata acrimonia,
nempe muriatica salsa, & acri rancido oleoso, & ammoniacali
sulphurea consistit, & in viscido complicato, nempe mucoso,
pingui & glutinoso, in solidis aequa ac fluidis. Incrementi
huius caussae ratio posita est in proxima remoria, quae de-
fectum salis primigenie & phosphorei acris & blandi fixi &
volatilis inuoluit, vnde digestio humorum, seu liquorum di-
gerentium elaboratio & sanguificatio, pendent. Si salis vi-
talis ab aqua, vel terra, vel vtrisque simul in sua virtute di-
mensi vires desiderantur, tunc motus humorum intestini de-
struentes, fermentatio, putrefactio, oriuntur, & omnis dige-
rendi & assimilia reddendi vis definit. Si primigenium sal
fixum volatile redditur, & volatile existens figitur, tunc
actuosa vis digerens incrementa capit mirifica. Hac igitur
magna salis vitalis virtute dissipata, nec potulenta, nec ali-
menta solida digeruntur, sed potius intra canalem alimento-
rum corrumpuntur. Eo grauiora vero hinc nascuntur mala,
quo maior fuit copia assumtorum, ad fermentationem, aut pu-
tredinem proclivium, & quo maiora excretionibus necessaria-
riis obiciuntur impedimenta; naturalis etiam quedam in so-
lidis & fluidis virium tenuitas quam plurimum facit ad vires
morbi augendas. Hinc dysenteriae variae ac multiplici ra-
tione dimensae caussae proximae posituae & negatiuae sunt, ex
quibus

quibus duas saltem principes ac simpliciores, ob limitum angustias, missis reliquis, perlustrandas nobis sumimus, quae exempli loco ad propositum scopum obtinendum sufficient. Mox enim acre muriaticum falsum in solidis, & ammoniacale sulphureum ac rancidum oleosum in fluidis: mox autem vici-dum glutinosum putridum in solidis, & acidum cum rancido oleoso in fluidis, & sic porro, prae ceteris se se distinguunt. Actuosa vero vis digerens, vel magis a terra, vel potius ab ignis aqua poteſt intuitu virtutis suaſe esse imminuta; illa igitur deficiente, maior ſemper naſcitur cum intestino motu acrimonia, ſolidae partes eriduntur, & ſanguis mobilior factus larga copia mittitur extra vaſa; hac vero ab ignis aqua imminuta vitae vi & diſſipata, lentoſ naſcitur mucoſus glutinosus. Hinc recte diſtinguere poſſumus, ex cauſae proximae quadam notitia, dyſenteriam in albam mucoſam, vel magis cruentam. Saepe quoque cruenta & mucoſa dyſenteria ſimul coniuncta eſſe poſteſt.

§. VII.

Symptomata per suas cauſas explicata.

Ne in recenſione ſympotatum huius morbi nimis longi ſimus, eorum tantum praecipua ad suas cauſas reuocabimus. Conatus excernendi perpetuus, & ſimul tenesmus a longitudinalium & fibrarum circularium minis aequabili actione, ex ſpazio producta, originem habent, fi nimirum liberius & elatior in hiſce fibris nifus, multum diſſipato ſalis vitalis mercurio, deſideratur. Si acre ſulphureum putridum aut glutinosum abundat, & acre muriaticum falsum ſimul eſt, tunc grauior tenesmus vna cum excernendi conatu praefto eſt. Borborygmi originem habent a liquorum digerentium & muci intestinalis vitio, fi ſalium oppofitorum vires aërem

C

ſuum

suum explicant, qui intestina partim expandit, partim constringit, adeoque sibi ipsi in progressu & diaphragmatis liberiori actioni obicem ponit, vnde dein anxietas praecordiorum, ab alia cardialgiam comitante discrepans, excitatur. *Tormina ventris*, vti omnes dolores, tensioni fibrarum, quam spasmī producunt, suam originem debent, semper tamen & laxitas in tensis fibris simul coniuncta esse solet. Concursum utriusque caussae, vel in fibra affecta, vel eius antagonista, tensionem inducentis, dolorem vehementiorem reddit. Definita autem acrimonia vt dolorum caussa, ab eorum indole dividatur: si v. g. *dolor magis acutus & subito inuadit* quidem, ast mox remittit, spirituosi acris praesentis signum est; magis vero *tolerabilis & sensim increscens, perpetuus tamen dolor*, acrimoniā sulphuream & falsam, cum lentore viscidō compōsitam, prodit. Cur vero etiam post factam excretionem dolor perduret, ratio est, quia eius caussa nondum ab arctiori cum solidis & fluidis nexus fuit expedita, adeoque non nisi praegressa cōstione sui excretionem cum leuamine permittit. *Excretio cruenta* vt plurimum ab acrimonia compōsita est, motum intestinum excitante atque solida in motū contrarios vertente, vnde ex compressione intestinorum laxorum, in plethoricis praecipue, facta vasorum apertura vel per *diap̄ωσιν*, vel *diap̄όσιν*, profusio fit, aut transudatio sanguinis, sensim coagula subeuntis, nisi massa eiusdem ita fuerit disoluta, vt loturae carnium similis excernatur; in apertura vero per *διάβροσην*, ab acrimonia rodente, sanguinis sinceri ac magis floridi fit excretio. *Excretio mucosa* partim a corrupta lympha ex arteriis, in superficie intestinorum interna hi-antibus, partim a muco glandularum folliculosarum, partim a glutinoso benigno glandularum conglobatarum intestinalium depravato, & crux sinceri defectu simul, originem habet.

Foetus

Foetor excretorum in principio muriae salis similis, a copia salis muriatici, in progressu cadauerosus, a sale ammoniacali sulphureo purrido euoluto, obseruatur. *Appetitus prostratus* a caussis laesae digestionis dependet, quae aut vitia sunt virium dissoluentium, in liquoribus digerentibus sitarum, aut nouam compositionem & admixtionem facientium, & haematopiticae virtutis in sanguine ipso inopia, aut elasticitatis vitalis in ventriculi & intestinorum fibris solidis defectus. *Nausea*, quae defectum apperteniae alimenti solidi concomitari solet, index caussae horum vitiorum in vniuersum est; illa enim, quando assumentum regni animalis victum excipit, laesionis ab ammoniacali sulphureo illatae indicium praebet; si vero ysum vegetabilium insequatur, ab acido deprauationem factam ostendit. Vbi autem omnis generis cibi aegrotantes fastidunt, tunc virium digerentium defectum ac saepe malignitatem simul adesse recte concludimus. Ratio tandem appetitus erga durum & molle alimenti solidi, solidorum habitum indicat. Plerumque *inanis ad vomendum nisus* adsunt, nisi a copia rancidi oleosi & muriatici salis actu eueniant per vomitum excretiones. Haec quoque acrimonia, cum acida coniuncta, interstitiis fibrarum orificii ventriculi sinistri adhaerens, *cardialgiam* in dysenteria frequenter producit. *Phlogosēs* a fermento spirituoso, ad vias secundas translato, nascuntur. *Febres*, dysenteriam comitantes, vel *intermittentes*, vel *acutae*, haud raro etiam *lentae* esse solent. Acrimoniam enim quantitate superans viscidum, pro eius indole diuersas febres intermittentes in dysenteria mucosa efficit. Acrimonia vero prae viscido potior, acutas febres, pro diuersitate acrimoniarum varias, vel catarrhaes, vel inflammatorias, vel pectechiales, &c. generat. Sic etiam lentae febres, prout defectus virtutis haematopiticae magnus, vel cum tenuitate vel spissitudine humorum coniunctus

Etus appareat, variam faciem p[re]se ferunt. Dysenteria in se spectata morbus difficultioris coctionis est, cuius vero praestanda[re] magnum ac necessarium naturae adminiculum, regularis, temperata ac opportuna febris est. *Dolor capitis*, vt symptom[um] febris, differt ab alio, constitutionis vtpote hypochondriacae, symptomate, vbi angustia quaedam inferiorem canalis alimentorum partem premit; haec capitis doloris species si occurrit, in mucosa dysenteria tantum obseruatur; illa vero frequentior in cruenta est. Vera *virium prostratio*, a lassitudine ex congestione, pulsus auxilio, distinguenda, ex dissipatione virium systolen atque diastolen efficientium ortum trahit. *Sistis*, in dysenteria plerumque obviae, natura, est posita in ingrata sensatione defectus blandae partis agilissimae humorum, & imprimis lymphae, indeque aucta in illis solidorum copia & cohaerentia, cuius, tam dissipatio huius partis liquidissimae, vt in coagulo, quam variae acrimoniae in illis soluta[re], ac de[n]ique impedita a spasmis eius secrecio, cauſa est. *Sommus perturbatus* solitum dysenteriae symptom[um] est. Idea quietis in circulatione humorum lentiori & quaquaversum aequabili consistit, vt a pressione blanda, encephalo sic inferenda, sensus & motus immuniatur. A copia vero acrimoniae muriatiae sensus, & a sulphureae ammoniacalis abundantia motus au[tem]tus, somnum quietum esse haud permitunt, & non nisi facta coctione reficere vires sommus potest. *Refectio virium nutritioni fluidi nerui rite factae* debetur; ea vero succedere, sub inquietudine & progressu per neruos quosdam aucto, nequit. Si larga acrimoniarum, in cruenta imprimis dysenteria, perspiratio eueniat, tunc somnus excretionem sequitur reficiens, qui vero sub cruditate, quam indicant sudores glabri, qui viscidum pingue, ab acrimonia retenta resolutum, ostendunt, fieri nequit. *Lienteria ac passio coeliaca*, sub morbi

morbi fine infirma corpora nonnunquam affligentes, communia caussae, nonnisi sede diuersae, originem debent, nimurum lensori olei & acidæ sanguinis acrimoniae, robur ventriculi & neruorum intestinalium destruente; vnde in Lienteria alimenta, vti masticata, cruda adhuc, in passione coeliaca vero chylus iamiam elaboratus, eliminantur. *Fluxus hepaticus*, non ita hoc in morbo infrequens, obstruktionem hepatis cum deterrima putredine supponit. Praeter iamiam allata, etiam alia symptomata, faciem noui morbi induentia, & a metaschematismo ex crisi perturbata & materiae copia ac indole orto, dysenteriae superuenire possunt, vt mania, lepra, affectus arthritico-scorbutici, Epilepsia, &c. Per caussas autem symptomatum cognitio, quae proximae caussae veritatem simul probat, ad diagnosin & prognosin, & imprimis indicationes singulares formandas, quam necessaria sit, ex sequentibus patebit.

§. VIII.

De Diagnosi.

Universalis huius morbi character, quo ab omnibus morbis se se distinguit, dolor est post factam excretionem sine euidenti leuamine continuatus; cui specialiora signa, quibus a singulis morbis dysenteria differat, subiungamus. Dysenteria similitudinem quandam habet cum diarrhoea, ratione frequentis desidendi stimuli & tormentum ventris; sed in diarrhoea tenesmus moderatior, nec putredinis vestigia adsunt, & leuamen sequitur excretionem. *Fluxus hepaticus* a dysenteria discernitur, quod in illo tormenta non adeo atrocia sunt, & excretione facta successu remittant, & grauior fecum foetor in hac obseruetur; præcipuum autem discrimen decubendi in sinistro latere difficultas ponit, ea de caussa

22 *Dissertatio de Dysenteria, ex principiis*

praecipue obseruandum, quia hic morbus frequenter cum dysenteria complicatus occurrit. Longe etiam abest, ut cum haemorrhoidum fluxu possit dysenteria confundi. Nam in illo dolor cum tenesmo post excretionem remittit, &, si forte febris adeat, pulsus fortis & magnum comitem illa habet, qui vero in dysenteria debilis & celer esse solet. Nec etiam sedes morbi suis signis destituta est. Illa enim in intestinis tenuibus efficit dolorem magis acutum & vehementem, subito quidem inuidentem, ast breui remittentem, & quem non statim, sed interdum post aliquam moram excretio excipit. Dolor profundus circa vmbilicum obseruatus, glandulas mesenterii male affectas esse, denotat. Sede morbi vero in intestinis crassis subsistente, dolor vel in vtrisque hypochondriis simul, vel in regione hypogastrica, vel iliaca dextra, obtusus quidem, sed diuturnior percipitur, quem statim excretio sequitur. Ex hisce etiam varia inflammationis sedes in intestinis diiudicanda est. Grauissima signorum consideratio est, quae circa diagnosin caussae proximae, eiusque variam dimensionem versatur. Nam si tornina ventris magis, quam tenesmus, molestant, & febris magis acuta, causaeque remotae eiusmodi fuerunt, quae solidorum relaxationem & fluidorum condensationem prae se ferunt, symptoma-ta autem vespertino magis tempore & sub situ corporis perpendiculari exacerbantur, tunc haec indicium proximae caussae definitae, nempe salis muriatici fixi in solidis, & acrimoniae ammoniacalis sulphureae in humoribus, fistunt. Vbi au-tem tenesmus magis, quam dolores, aegrum vexat, borbo-rygmi in primis, & diathesis phlogistica in secundis viis frequentes sunt, febris magis intermittens, & cum pulsu tarde, inaequali & debili coniuncta est, atque caussae remotae eiusmodi fuerunt, a quibus rigiditas solidorum, & fluidorum te-nuitas

nuitas seu seroforum humorum copia, augmenta capere solent, & symptomata, vt dolor capitidis, vertigo, anxietas praecordiorum, matutino magis tempore, & sub situ horizontali exasperantur; ibi in solidis glutinosum putridum, & in fluidis acidum seu spirituosum acre, cum rancido oleoso haerere, & dysenteriam mucosam efficere, recte iudicamus. Ceterum dia-
gnosis dysenteriae mucosae & sanguineae omni difficultate ca-
ret; id vero peculiariter animaduersione dignum est, quod, si
intuitu albae dysenteriae excretio viscidus magis pellucidi, seu
mucosus, euenerat, sedem caussae in glandulis folliculosis esse;
viscidus autem opacus seu glutinosus excretio eius sedem in con-
globatis, prodat: ratione cruentae autem, sanguis magis flo-
ridus excretus, copiam salis muriatici & sulphurei cum ter-
rearum partium figentium defectu; sanguis vero nigricans
acrimoniam acidam & atrabiliariam, denunciat. Porro, cum
dysenteriam cruentam excretio viscidus semper praecedat, ne
statim ad mucosam conclusio perperam fiat, caendum. Sin-
gultus denique cum vomitu, inflammationis internae praesen-
tis, aut futurae, notae satis terribiles sunt.

§. IX.

Prognosis in Dysenteria formatur.

Dysenteria morbus est nunquam flocci pendendus, quia
virtus virium, sanguinem elaborantium & assumenta digerentium,
inuolut. Curatu tamen facilius est, si sporadica existit, &
corpora robusta inuadit; difficilior vero, si corpora cacocho-
mica, vel in quibus iam ante virtus virtutis haematopiiitiae,
aut cum humorum tenuitate, aut spissitudine coniuncta, obti-
nuerunt, aggreditur, idque multo magis de contagiosa valet.
Periculosior est morbus, in quo intestina tentia, quam in quo
erat afficiuntur, ob sensum illorum exquisitiorum. In dys-
ente-

enteria quoque mucosa grauiora symptomata deprehenduntur, quam in cruenta, ob spasmorum vehementiam, a defectu febris & coctionis promanantium. Porro bilem atram incipiente hoc morbo excretam mali ominis esse, EX HIPPOCRATE b) notum est, quia omnes excretiones, ante factam coctionem & separationem boni a malo occurrentes, semper laudabiles simul succos, & tales, in quibus vis illa vitalis, ad coctionem requifita, recondita later, eliminare solent, adeoque debilitant, & noxa inde redundans eo maior erit, quo pionerosior, & coctionem magis respuens, materia peccans est. Tristissimi autem euentus est, si bilis atra, morbo diutius iamiam producto, absque signis coctionis evacuatur; indicat enim, humorem hunc, fortius commotum, iam ad vasa encephali deferri, cuius generis metastasis viris hypochondriacis & hystericae foeminis perquam solemiss est. Hoc eueniente erosio nem fieri, & morbum mox in apoplexiā degenerare, HIPPOCRATES i) pronunciat. Animi deliquium, subitu perpendiculari in dysenteria cruenta cum febri acuta eueniens, malignum morbi statum indicat; sed post largam sanguinis profusionem per anum, aut, in dysenteria mucosa, praegressis borborygmis, periculo caret. In dysenteria cum plenaria virium & appetitus prostratione & pulsū debili, inaequali & intermitente, ob indolem malignam morbi, contagium est metuendum. Lienteria ab hoc morbo relicta, ac diutius tolerata, tabem inducit; hydrops vero grauem haemorrhagiam, vel viscerum indurationem hoc in morbo sequitur. In dysenteria febri inflammatoria stipata, si pulsus debilis & intermittens est, & dolores subito remittunt, cum subsequentibus animi deliquiis, linguae paralysi, nec non sudoribus frigidis, immimentis

b) Conf. Eiusd. Aph. 22. Sect. IV.

i) Sect. IV. Aphor. 23.

nentis gangraenae indicia sunt. Morbi a dysenteria suppressa orti, ut angina, mania, fluxus hepaticus, epilepsia, & similes alii, nonnisi dubiam formari prognosin permittunt. Dysenteria autem ut symptomata morborum, v.g. maniae, variolarum, febris catarrhalis, fluxus hepatici, &c. sub certo respectu critica est, quamvis periculo haud immunis sit aeger. Deiectiones fecibus formatis permistae, imprimis cum ruetuum & flatuum emissione, optimum signum praebent. Somnus, sudoribus lixiuosis quietus & reficiens superueniens, dolorum aliorumque symptomatum leuamen promittit, quia fluidi neruci copia aucti & separationis boni a malo notae sunt. Vrina copiosa & colorata, spiculisque salinis variegati coloris ob sita, coctionis factae indicia praebet; parca vero & aquosa, & sudores viscidii, cruditatem indicant. Pulsus fortis & aequalis ad coctionem & separationem praestandam vires sufficere significat. Grauidis dysenteria superueniens abortum facit, sed foetus exclusionem huic morbo mederi, HIPPOCRATES k) obseruavit. Est enim inter intestina atque partes generationi dicatas eiusmodi consensus, vt hisce relaxatis & ad congestionem & congefti excretionem dispositis, illa quoque liberentur & nouum robur accipiant, & vice versa.

§. X.

Indicatio generalis ponitur.

Ad ipsam huius morbi *curationem* accedentes, ex causa proxima, §. VI. posita, indicationem generalem formare tenemur. Restauranda in hoc morbo primum omnium digerendi vis est. Non solum in solidis primigenium mercuriale fixum, sed quoque in fluidis volatile sal ad febrem temperaram excitandam & coctionem iuandam facit; acris autem & blandi-

k) Sect. III. Aphor. 34.

salis in hoc morbo utilitas pro diuersa caussae proximae dimensione diuersa est. In mucosa enim dysenteria, cum viscidi, in cruenta vero cum acrimoniae potior vis fit; ideo in hac semper coctio a sale primigenio blando, in illa vero a mercurio salis primigenii acriore adplicato, repetenda erit.

§. XI.

Diaetae ratio proponitur.

Diaeta se habeat ad indicationem generalem, ut haec ad caussas remotas, & ex hisce ortam proximam. Cum vero duplicum harum caussarum seriem, quarum cuique a caussis prae-disponentibus non--naturalibus denominationem commoda perquam ratione imponere licet, nempe constitutionem hypochondriacam atque scorbuticam, hic loci perraetare constitutum fuit; hinc tot etiam variis diaetae rationibus, cuique harum accommodatis, opus est: vna nempe pro hypochondriacis, atque altera pro scorbuticis. Hypochondriacis hoc morbo laborantibus, quoad fluida, usus rerum, quae acidum cum rancido oleoso corrigunt; quoad solida vero, quae rigorem a viscido glutinoso putrido & dispositionem ad spasmos mutant, amicus est. Potus ergo, horum fluidis magis accommodatus, est aeneae excorticatae cum carnium iuscule paratum infusum; nec vini rubri, cui quippe inest mixtio desiderata antacida, modicus haustus nocebit. A sero autem lactis, imprimis frigido, anxietas, tenesmus & capitis dolores mouentur & exasperantur. Hordeum vero non nisi in forma tremoris, ob eius vim antisepiticam, hisce conuenit. Ad rigorēm in solidis corrigendum faciunt pisces non nimis saliti, propter terram salis marini & succum mucosum, qui in piscium carnis abundat. Fructus horaci exsiccati, cocti, & a suo iuscule aquoso separati, debilitatem, hisce subiectis familiarem, bene emendant. Sic etiam oua sorbi-

aliam

lia, & animalium volucrum, ac vitulina caro, ab hypochondriacis non responda sunt. Abstinentia vero a carne suilla, fumo potissimum indurata, a placentis, fabis, lentibus, pisis, quae rancidum oleosum & viscidum glutinosum augent, & flatulentiam ac anxietatem iisdem mouent, commendanda est. Scorbutorum fluidis spissis potus conueniens est infusum hordei cum sero lactis paratum, utpote quod, pro obtinenda vi antiseptica, in tali forma optimum praestabit effectum; sed iuscula carnium spissitudinem in humoribus augent. Pisanae, hisce aegrotis exhibendae, leniter tantum infusae, ait hypochondriacis fortiter decoctae sint. Laxis scorbutorum solidis prodest cibus septico principio ac glutinante magis instructus, ut carnes solidae, minus pingues, sale vero conditae nocent. Datur etiam diaetae ratio utrisque communis, e.g. dum vietus conceditur non nisi parcus, quies, quantum eius fieri potest, commendatur, refrigerium aeris ab externa corporis superficie arcetur, nihilo tamen minus frigidum ac bene ventilatum respirationi, corpore tamen satis, non nimis vero, recto, conceditur. Hac ergo ratione auxilia ex fonte diaetico indicationi conuenienter inuenienda sunt. Nunc vero ad indicationem ex fonte chirurgico & pharmaceutico, vario ac specialiori modo obtinendam, deueniendum est.

§. XII.
De indicatione vitali.

Idea indicationis vitalis partim mobilitatem peccantis in fluidis quaqua uersum aequabilem, qua, absque obstructionis periculo, omnia conuenientia colatoria permeandi capacitatem acquirit, partim solidis elasticitatem vitalem restituendam, comprehendit. Haec desiderata mobilitas in fluidis & elasticitas in solidis triplici ratione abesse potest: vel 1) ita, ut solida laxa, & fluida spissa, vel 2) ut illa rigida, haec nimis tenuia, vel 3) utraque

28 *Dissertatio de Dysenteria, ex principiis*

que sunt inertia, seu ad omnem motum aequabilem penitus inepita. Subiectum artis in dysenteria cruenta periret, si imminentis inflammationi non statim mederi Medicus velleret, siquidem eiusmodi inflammatio, ob inertiam, in gangraenam abire subito solet. In metu inflammationis cum impulsu humorum forti coniunctae, atque ex pulsu forti & siti ingente cognoscendae, Venaelectio rite administrata verum auxilium est; illa autem valde noxia foret in dysenteria mucosa vel cruenta maligna, cum pulsu debili. Ad hanc stasim inflammatormiam imminentem auxiliis pharmaceuticis auertendam, requiritur: 1) ut humorum impulsus, a motu intestino vario factus, modereretur; 2) spasmus in tunicis arteriarum nerueis mitigeretur, & denique 3) relaxatio tunicarum muscularis tollatur; haec tria enim momenta inflammationis essentiam absoluunt. Impulsus humorum a copia ignescientis principii, varia ratione dimensi, oritur, hinc etiam motus intestini dimensus est. Ad motum intestinum immuendum, respectu simul solidorum ac fluidorum habito, potus sic dictus diliuens, ex radice Graminis, Bardanae, Scorzonerae, & herbis Parietariae, Agrimoniae, Veronicæ, &c. facit, cum taleolis Citri frigido decocto adiectis. Ad spasmos in tunicis arteriarum nerueis commode sedandos, uti possumus emulsionibus mercurio salis vitalis blande impraeognatis, v.g. de semine Portulaceae, Aquilegiae, Amygdalis dulcibus, cum aquis Liliorum conuallium, Rosarum rubrarum, florum Sambuci & Papaveris rhoeados, paratis, additis simul aliquot granis Camphorae. Relaxatio in fibris muscularibus, eminentiori modo considerata, ope salis sulphurei fixi vitalis blandi, in Materia perlata, Nitro & Ebore sine igne praeparato delitescentis, tolli potest, cui quoque indicationi pro edulcoratione syrups Papaveris albi fauer, qui praedictis emulsionibus, cum modo allegatis puluerulentis, addi potest. Repentinus huius inflammationis in-

cip.

gangrae-

gangraenam transitus frequentem & largam, intra breve temporis spatum, remediorum adapplicationem requirit. Animi patemata & externum frigus cane peius & angue fugienda. Abstinentia ab omni vino est necessaria; nimius stragulorum & conculium calor nocentissimus est. Aér renouatus elasticus ad stases inflammatorias discutiendas quam plurimum confert. Superato inflammationis metu, vel si nulla prorsus extimescenda est, elasticitas vitalis solidorum & mobilitas fluidorum, in dysenteria potissimum cruenta, instauranda est: & quidem illa ope principii sulphurei fixi salis primigenii blandi; haec vero ope principii antiseptici volatilis, salis primigenii blandi; quae indicatio vsu paulo ante definiti poros diluentis itidem potest obtineri. In dysenteria mucosa mobilitas fluidis restituenda, & solidis robur elasticum ita reddendum est, vt febris temperata excitetur, & in fibris solidis viscidum glutinosum & rigor, in humoribus vero acidum & rancidum oleosum mutetur. Hanc indicationem adimpler in hypochondriacis antisepticum fixum sal amarum, quod in variis extractis amaris haberi potest, v.g. in Extracto Cardui benedicti, Abortani, rad. Cichorei, herb. Scordii, cort. Peruviani; porro etiam ex aquis destillatis, in quibus sal virale sulphureum volatile abundat, vt in aqua destillata Melissae, flor. Chamomillae & Cheiri, parari possunt cum extractis amaris potionis seu elixiria, & cochleatim exhiberi. His auxiliis adhibitis satisfacimus simul indicationi, quae angustiam canalium, & inferioris imprimis partis canalis alimentorum stricturas, hypochondriacis familiares, respicit, unde congestiones peccantis materiae versus ventriculum, & sanguinis versus encephali vasā, adeoque capitis dolores, vertigo, flatulentia & impedita respiratio nascuntur.

§. XIII.

Indicatio euacuans per tractatur.

Materia hac ratione mobilis facta excretionem postea, variae eius dimensioni conuenienter instituendam, permittit. Respeetu vero viarum, tot varii euacuandi modi, quot diuerse faliis vitalis acris & faliis mercurialis, ab ignescente terra coagmentati, inueniuntur mixtiones; pro eo enim aut per sudorem, aut vomitum, aut aluum, &c. materiae possunt eliminari. Radix Ipecacuanhae per omnes fere vias, a potiori tamen per vomitum, euacuationem praefstat. Obtinetur potissimum ex hac radice mucilaginosi subtilis quid, parca quamvis copia, quod mucosum humoris acrimoniae succurrat, cum acri mercuriali tingente sale, quod viscidum glutinosum soluit & per vomitum expellit, si modo haec radix, ut decet, cum extracto & aqua Melissae, vel simili praeparato, a quo eius vis alterans exaltari queat, largiori copia coniuncto, in dysenteria mucosa, quae intestina tenuia male afficit, exhibetur. In cruenta, euacuantia per aluum non quidem promiscue, sed proximae definitae caussae, superius indicatae, accommodata, locum inueniunt, v. g. radix Mechoacanna, aqua blandum mercuriale sulphureum, anodyna & humectante vi praeditum sal, abundat, cuius per aluum ducens potestas antiscorbutica & roborante vi simul agit. Has facultates Mechoacannae albae, radix Hermadastyli & Magnesia alba egregie augent. Hisce adiplicatis auxiliis motus & impetus sanguinis coercetur, & vasis sanguiferis robur vitale restituatur, vt citra retroactionis metum sanguinem retinere valeant. Sedata tandem nimia sanguinis eruptione & impetu, ad roborantia valentioris generis, euacuantibus per aluum iuncta, progredi licet, quales vires in Corallis rubris, terris argillaceis & Rhabarbaro deprehenduntur. Rhabarbarum enim sul-

phure

phure vero non comburente, seu terra tingente fixa & volati-
li abundat, & hac de caussa suum odorem, incineratum quo-
que, non vero multum calcinatum, retinet. Magna eius ita-
que in sanguinem actio est, cuius intuitu rancido oleoso &
viscido glutinoso & acido resiftit, neque minus in solida ro-
borando eius vires penetrant. Coralliorum rubrorum & ter-
rae argillaceae rubrae, ut Strigonensis, vires in mutando ro-
dente acri aliis antecellunt. Si caussa sedem in crassis intesti-
nis obtinuit, clysmatibus carere nullo modo possimus, quae
vero dimensioni virium proximae caussae diuersae exacte re-
spondeant. Vbi igitur plus sanguinis, quam viscidii, in ex-
cretis conspicitur, ibi clysmatibus opus est, v. gr. ex herba
Agrimoniae, Millefolii, radice Filipendulae, quibus vis est
intestina magis roborandi, & motum sanguinis intestinum, a
muriatico acri & spirituoso fermento ortum, compescendi;
ex floribus Malvae, a quibus mucilagine inuolutum mercuriale
sal blandum continetur; porro ex flor. Verbasci & sem-
lini, in quibus eiusmodi vires latitant, quae anodyna & de-
mulcente facultate agunt; Terebinthina tandem cum vitello
ouorum soluta, cui vis est, viscido glutinoso & acri sulphu-
re simili opposita. Ex hisce igitur roborantibus, demulcen-
tibus & resoluentibus componantur species pro clysmate, si
putredo superat fermentationem, quod ex foetore excreto-
rum cadaveroso cognoscere licet. Tali clysmati in dysente-
ria mucosa substituatur aliud, v. g. ex herb. Scordii, Ruta,
Abrotani, &c in quibus later antiseppticum fixum sal, anti-
spasmodica vi praeditum. Ex eiusmodi indicatis fiat cum la-
ete clyisma. Cum omni dysenteriae occasionem praebeat sup-
piessa perspiratio, hinc sudoriferum, caussae proximae respon-
dens, iusto tempore exhibeat, e. g. in dysenteria alba prae-
paretur potio, ex aqua destillata Melissae, Menthae, Scordii,
spiri-

spirituofum acre cum rancido oleoso in humoribus, & imprimis lympha, corrigentibus; cum extractis herb. Carduibelodi, rad. Gentianae rubrae, glutinosum & mucosum in solidis resoluentibus, addito spiritu Tartari rectificato, pro mobilitate lymphae eiusque valsis restituenda.

§. XIV.

Indicatio symptomatica perlustratur.

Haec indicatio potius mitigatoria nuncipanda est, & ut in praegressis proximae causae, eius tamen hic magis conditionis & nonnunquam partis, in qua vrgentis symptomatica ratio latet, respectus habeatur, necesse est. Saepius Medicus de ingentibus abdominis tormentibus remouendis ab aegroto sollicitatur. Oritur hoc symptoma a spasmo cutis, tactu etiam percipiendo, a quo affluxui acrimoniae compositae versus internas partes relaxatas ansa suppeditatur; cuius itaque correlata indicatio est: externas partes contractas circa nimiam relaxationem ita emolliendi, vt regularis sanguinis ab internis ad externas partes distributio fiat; & utrisque robore suo elastico restituto, acrimonia composita & a potiori muriatica acris corrigitur, id quod in sequentibus latet indicatis, v. g. in floribus Sambuci ita emollientibus, vt aequabilis solidorum dilatatio arque contractio, mutato acri rodente, emergat. In Melilloto vis resoluens anodynna & antispasmodica peculiaris haeret; farina feminis Lini acido rodenti & ammoniacali sulphureo oppositam vim possidet, & elasticitatem vitalem restituit; farina Fabarum & foenugraecum vim itidem anodyniam & antispasmodicam recondunt. Ex hisce fiat cum aqua, ne nimia sit relaxatio, Cataplasma, parti & regioni dolenti moderate calide applicandum. Hic scopus eo citius impetratur, si derivationem ab intestinis ad viscera vro-

poez

poea Medicus propositam habeat, & huic indicationi fauerit quoque emulio, in qua semina pro solidis mutandis sunt antiscorbutica; aquae destillatae vero, pro fluidis alterandis, antisepsticae, v. g. ex sem. Cardui Mariae, Papaveris albi, Nucleis persicorum, cum aqua Liliorum conuallium, flor. Papaveris rhoeados, quibus aliquot grana Nitri, pro scopo anodyno & antispasmodico, addenda sunt. Molestissimum, dysenteriae imprimis albae, symptomata tenesmus est; circa cuius medelam occupatus Medicus ad laxitatem intestini recti, unde nimius versus illud contingit affluxus seri acris, partim ad viscidum glutinosum, spasmos excitans, respicere tenerur. Particulararem hanc indicationem explent vires in Carduobenedicto, Abrotano, Marrubio albo, Matricaria, Melissa, & flor. Chamomillae reperiundae. Nam a sale sulphureo acre serosum mutatur, & solida robur suum accipiunt; a sale vitali & mercuriali glutinosum viscidum resoluuntur, & humorum ascensus facilitatur, elasticitas solidis viralis & mobilitas humoribus singulari modo restituuntur. Hisce omnibus radices Altheae adhuc, ob demulcentes & antispasmodicas vires, addi possunt, & cum lacte feruente pro fotu ex iis parari potest infusum, cuius vapores in sella perforata parti affectae adplicantur. Materia hac ratione mobili facta ac deriuita, haec ipsa quoque euacuanda est, & huic scopo inseruit clyisma, e. g. ex foliis Sennae, Rhabarbaro, flor. Verbasci & sem. foenugraeci paratum. Hisce praemissis, haud multo post adaequatum euacuans per aluum v. gr. ex Melchoacanna & cremore Tartari, subiungendum est. Hypochondriaci denique in dysenteria mucosa de flatulentia, anxierate praecordiorum, & animi deliquiis, matutino imprimis tempore, conqueri solent. Caussa huius symptomatis, molesti quidem, ast non adeo periculosi, in acrimonia acida

spirituosa, viscido mucoso inuoluta, & liquoribus digerentibus ab illa corruptis, est posita, vnde acris inertis generatione pendet, cui commode obuiam itur usu aquae desuillatae & cohobatae super seminibus Anethi, Cumini, Foeniculi, & calce viua; potissimum haec aqua, cum extracto cort. Peruani aquoso composita, exacerbationis tempore est exhibenda.

§. XV.

De Indicatione robore.

Ad hanc indicationem, quae robur partium laesarum respicit, nonnisi antecedentibus prius obtentis progredi licet. Morbo vero superato ea eo magis necessaria est, quo frequentius contingit, vt a partium affectarum infirmitate, & materia peccante ex parte relictis, lienteria, fluxus coeliacus, vel apperitus praeter naturam auctus, reconualecentibus superueniant. Indicantia itaque sunt, intestina vel tenuia, vel crassa male affecta, & in illis aut viscidum, aut acre superstes. Haec vero cum in omni suo ambitu pertractare mihi propositum non sit, definita tantum morbi sede diversa, selectum auxiliorum, parti affectae accommodandum, ostendam. Si v. g. humidioribus subiectis dysenteria in intestinis tenuibus antea fuerit, tunc ligni aloës, iuniperi, radicis Carlinae pulueres, cum oleis desuillatis Foeniculi, Cardamomor. Cinnamomi, possunt praeparari, & qualibet vice in minori dosi frequentius exhiberi, & herbae Salviae, Menthae crispa, Melissae, cum lacte infusae, possunt simul propinari, vt non solum ventriculi robur instauretur, sed quoque nutrientes partes simul applicentur. Dysenteria vero intestinorum crassorum superata, neruorum periflum ratio habenda est. Hi robur suum repetunt a viribus salis sulphurei & terrae salis marini

marini fagentis, cuius generis mixtiones in liquore anodynō & oleo balsami Peruuiani occultantur. Specifica quaedam male sic dicta antidyfenterica, ex mixtione, cum diuersa indica-
tione comparata, diiudicanda, in fine huius tractationis, ad-
huc adiicere breuissimis liceat.

§. XVI.

Quaedam Specifica diiudicantur.

Sunt, qui Smaragdum pro specifico laudant, cuius, ut reliquarum gemmarum, terra, vitrescens est. Praeter hanc vero illi proprium sulphur combustibile, seu terra tingens & ignescens, est, quae exustione etiam separari potest, ut non nisi vitrum remaneat. Propter terram igitur arenosam & sal arenae, motui intestino destruenti resistit, & viscera membranacea roborat; propter terram autem ignescentem & tingentem, seruos & acres humores alterando, exsiccat, ideoque totam dysenteriae serosae & cruentae proximam caussam tollere valer, in qua etiam eius vius efficacior est ad fluxum se-
ri cruenti imminuendum. Addi Smaragde Corallia possunt; sed, ne praecocius eadem adhibendo, periculosa materiae represso fiat, caendum. Porro etiam a quibusdam Cerui priapus commendatur. Reperimus in illius partibus fixis terram antacidam, cum arenosa coniunctam, unde eius virtus pender aphrodisiaca. Aphrodisiaca vero, dum humorum affluxum genitalia versus excitant, ab intestinis aciores humores diuertunt, & hoc pacto intestinis roboratis, haemorrhagia sedatur. In his quoque forsitan ratio illius experientiae posita est, qua, sicuti partum (§.IX.), ita etiam coitum curasse dysenteriam obseruatum fuit. Alii fungum Melitensem laudibus extollunt; ast rionis in tali dysenteria, quae cum flu-
xi hepatico coniuncta est, roborandi scopo adhibitum, vires suas

suis illum exferere posse; mixtio docet. Continet enim terram salis marini, cum antacida intercedente terra tingeente coniunctam, qua propter vires sanguinis, inter arteriosum & venosum ambigentis, nempe sanguinis portarum facultates, conservat. Neque minus medullam Palmae fariniferae, Sagoudictae, Medici encomio prosequuntur. Virtus huius potissimum antiseptica est, sed addito hordeo, cum iuseculo carnium decocto, auxilium praestat, in doloribus arthriticō-scorbuticis, a dysenteria relictis, praestantissimum. Ad hancce remediiorum familiam refertur quoque cortex Simarubae, in examine per ignem sal phosphoreum volatile & vinorum fixum blandum exhibens, vnde in dysenteria rubra, quae sicciora imprimis corpora affligit, intestinorum tenuitum robur vitale instaurat. Non igitur morborum, sed caussarum specifica, a Medico rationali assumenta sunt, de quorum aptissimo usu illum esse decet sollicitum. Indicata, quatenus desinitiae proximae caussae & parti affectae accommodata sunt, ex mixtionum ratione illos feligere debere, qui bene mederi morbis cupiunt, Medicis philosophis perspective facilissimum est.

T A N T V M.



0046282

ULB Halle
002 828 103

3



Ratio ✓



15

DYSENTERIAM EX PRINCIPIIS CHEMIAE SVBLIMIORIS PER LVSTRATAM

DEO OPTIMO MAXIMO AVSPICE

ET

SVFFRAGANTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D. ANDREA ELIA BVCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MEDICAE SENIORE, ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI, ET COMITE PALATINO CAESAREO,

AD SVM MOS IN ARTE MEDICA HONORES
CAPESSENDOS

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

DIE III. NOVEMBRIS A. R. S. CLOCCCLXIV.

PVBLICE VENTILANDAM PROPOSIT

AVCTOR

CHRISTIAN GOTTLIEB MÜLLER

REICHENBACHIO - VARISCUS.

HALAE MAGDEBURG. APVD IO. CHRIST. HENDELII VIDVAM.